



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, 1664**

Quæst. II. An Incarnatio ob præsatum reparationis finem ante præuisum  
peccatum decerni potuerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

alium quam reparationis Adæ & aliorum hominum à peccatis finem Deo extitisse; sed audiant quem obiciunt (eritque ex inimicis nostris salus) Cyrillum Alex. 5. The- sau. c. 8. ait enim, *præfundatam ante nos Christum in Dei præ- sentia, ut cum ordine diuino, benedictio male dictionem ante- cederet, & damnationem in mortem vitæ pollicitatio, seruitutem diaboli adoptionis libertas, postea natura humana superatis malis, que interim acciderunt in pristinam per gratiam Christi, qui fun- dauit eam in bonis, dignitatem recurrere.* Ergo, ut ad gratiam pristinam post lapsum recurremus, Christus ordine, & decreto diuino præfundatus est ex Cyrillo; ac proinde non nisi ob finem nostræ à peccatis reparationis decre- tus est. Rupertus denique obicitur 3. de glor. Trinit. & procef. Spiritus S. ubi ait Angelos & creata omnia propter Christum eiusque gloriam fuisse producta. Sed lo- cus adhuc est, ut Christus propter hominum salutem, & reparationem inefficaciter intentam produceretur. Se- cundo: quid Rupertus contra tot grauiorum selecturum Patrum turbam?

3. Probatur secundo eadem minor ex Irenæo aduerf. hærel. c. 14. dicente: *si non haberet caro saluari, nequaquam verbum Dei caro factum esset.* Ex Athanasio ser. 3. contra Ar- rianos col. 3. 12. editionis Paris. *Necessitas quippe indigentia- que hominum anterior fuit, quam illius natiuitas, qua sublata carnis non induisset.* Ex Augustino serm. 8. de verb. Apo- stoli: *venit enim filius hominis querere, & saluum facere quod perierat si homo non perisset, filius hominis non venisset.* & ser. 9. *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicine.* Ex Leone Magno ser. 3. in Pentec. *Si enim homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus in sue honore nature mansisset, nec diabolica fraude deceptus à lege sibi posita decuisset, creator mundi creatura non fieret.* Ex Ecclesia demum ita Mariam alloquentis.

*Peccatores non abhorret,  
Sine quibus nunquam foret.  
Tanto digna fito.*


Quibus locis ob reparandos homines, nullo alio intento venisse Christum expressè dicitur, ac peccatis reparandis deficientibus non venturum, de quo q. 4. Atque hæc sanè omnia satis demonstrant nullum alium finem præter hominum salutem, atque à peccatis reparationem ex scriptura, & Patribus constare, ut in minori illa vltima assumebamus, ac proinde cordatè, & Theologicè nul- lum alium finem Incarnationis Deo adscribi posse, sed eum fuisse adæquatam etiam extrinsecè finem decer- nendi, atque exequendi Christum.

4. Ad vberiolem tamen, & vrgentiolem probationem audiamus Patres positiuè excludentes alios fines Incar- nationis: ac proinde expressè nostram conclusionem do- centes. Ambro. de Incarn. c. 6. *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccauerat, redimeretur?* Ac si dicat: nulla alia sanè Nazianzenus orat. 4. quæ est 36. de Theologia: *Quæ autem humanitatis suscepta à Deo propter nos causa exiit: Pro- fectò ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud cause afferri po- tesset?* Aug. 1. de peccat. mer. & remis. c. 26. ait: *Christum non aliam ob causam venisse, nisi ut hac dispensatione misericordissi- me gratiæ omnes quibus & saluos faceret?* Et post supra data verba ex serm. 9. *Nulla causa veniendi fuit Christo Domino nisi peccatores saluos facere.* Gregor. M. in 4. Reg. c. 1. ad id: *Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt, ait: si Adam non peccaret, Redem- ptorem nostrum carnem suscipere non oporteret: non enim venit vocare in salutem peccatores ad penitentiam si pro peccatoribus venit, si peccata deessent, enim venire non oportebat.* Quibus lo- cis verba oporteret, & causa non necessitatem, ut malè ad- uersarij respondentis: sed causam finalem aduentus Chri- sti scripturæ locis, quæ hi Patres memoiant, contentam significanc.

5. Obiciet Cyrill. Alex. 5. Thef. c. 3. ita contra Arianos factum: *si ut heretici dicunt, ut nos produceret Deus, filium suum produxit, erit ipse propter nos factus non propter ipsum: cur ergo non nobis ager gratias, qui propter nos est? Erit etiam ipse sic gloria nostra, ut sancta virgo: non enim vir creatus est propter seminam, sed semina propter virum.* Et post pau- ca: *si propter nos filius factus, primi nos erimus apud Deum: sic enim Deus non primum, deinde filium propter nos intendisse videbitur.* Quæ ex fine nostræ lauitis decretæ Incarna-

R. P. Christoph. de Ortega, de Dei incarnat.

tioni præstituto æquè absurdè inferri videntur. Respon- detur illa omnia de verbo secundum se absurda esse; rectè contra Arianos, qui illud creaturam, & propter creaturas factum blasphemabant, & deducebat, & vrge- bat filius: similia verò de filio non secundum se; sed iucarnato, siue de verbi Incarnatione non absurdè; sed catholicè admitti: cum finem Incarnationis nos- tram salutem extitisse dogmaticum sit. Denique obicit illud 1. Cor. 2. de Christo. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, que abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram.* scilicet humanitatis Chri- sti, ex qua gloria, & honor nobis eius confanguineis redundat. Sed non est ibi sermo de Christo; sed de crucis, & passionis ignominia in nostram salutem, & gloriam æternam à Deo ordinata: quare pro nobis militat Paulus.



QVÆSTIO. II.

*An incarnatio ob præfatum reprobationis fi- nem ante præuisum peccatum de- cerni poterit?*

DECRETA ne Christi existentia fuerit, ante præuisum peccatum ex intentione efficaci reparandi hominis à peccato? Lis est, q. 4. dirimenda: sed quæ ex præsentis quæstione, vel maxime, pendeat. Si enim ex eo sine decerni absolutè nequeat minus poterit ex eo sine efficaciter intento decerni, & sanè, quæ ad Dei atti- nent decentiam (ex qua parte rem nunc consideramus) eadem est, siue reparatio hominis à peccato efficaciter, siue inefficaciter intendatur difficultas, ut ex dicendis constabit: quare de intentione absolutè, provt efficacem & inefficacem coërcet, rogamus.

CERTAMEN I.

*Aliorum opiniones, atque discursus Recentio- rum ex Ripalda desumptis con- futantur, à priori.*

1. Vtq. d. 10. à c. 5. d. 11. & 12. & 13. ex his, quæ de per- missionè peccati, ut prædestinationis effectus esse nequeat, asseruit 1. p. d. 39. c. 2. negatiuam sententiã sup- ponit potius, quam probet: pro eaque plures ex antiquis refert. Nec dissentiant Gasp. Hurt. Naxarius, & Becca- nus, qui cum ipso de permissione peccati: 1. p. censebant. Ratio vtrique difficultati communis illa erit ad præsen- tem instruenda. Nam incarnatio ex eo sine electa, atque decreta non amatur adeo ob propriam bonitatem, tan- quam finem, neque amatur ob solam finis, bonitatem, seu solum, quia finis bonus est, sed quia ipsa vtilis est ad finem eiusmodi consequendum: ergo id omne amari de- bet eo decreto, per quod vtilis incarnatio ad eum finem est: ac sine quo vtilis ad illum esse non potest: aut in- carnatio ad finem reparationis à peccato vtilis non est, nisi medio peccato, sine quo est reparatio impossibilis: ergo nequit amari adeo, ut vtilis ad reparationem à pec- cato, quin, & ametur peccati, quod quidem Deo repug- net: ac proinde, & decerni incarnationem ante præuisum peccatum, ac non suppositum, ex fine reparandi hominè ab illo Suar. licet rem hanc expressè non tangat, opposi- tum nihilominus supponere videtur. d. 5. cui ad stipula- buntur, quotquot cum iplo 2. de concursu Dei c. 5. ad 4. & 3. de prædest. sect. 1. permissionè peccati inter præ- destinationis effectus recensent verò, cum ipse neget citatis locis de prædestinatione, & concursu Dei posse adeo peccatū ex intentione poenitentis permitti, solique ex humilitatis intèntione posse adeo permitti desèdar, idè in

Cccc 2 nostræ

nostro casu dicere tenebatur, atque de permissione ob penitentiam, cum vtriusque ratio, in nullo discordet, vt patet.

2. Difficultati tamen vtrobiq; eluenda semina posuit, quae non exclusit tom. 3. & gratia lib. 12. cap. 11. num. 2. ea tamen exclusit Ripalda tom. 1. de Ente super naturali d. 66. sect. 3. ex cuius doctrina, tam hic, quam d. de effectibus praedestinationis Recentiores Complutenfes duplicem ex finis intentione electionem mediourum esse posse aiunt. Aliam intrinsecam, & formalem, qua scilicet medium amatur, vt vile formaliter: aliam vero extrinsecam, & materialem, qua medium vile cognitum non vt tale amatur dum eligitur, sed vel ob suam bonitatem, vel ob vtilitatem, quam ad alium finem habeat. Cum enim finis intentio ad dandam illi existentiam tendat, ideoque media ad illum obtinendum apponatur, si poni sine amore vtilitatis formalis queant, amari, atque apponi, vt vtilia ad finem opus non est, vt patet in electione ipsa, quae vtilis, ac necessaria ad finem consequendum est; atque ex eius proinde intentione apponitur, quin ob vtilitatem, imo neque absolute ametur reflexe, cum apponitur in mediis autem alius cognitio vtilitatis requiritur, non quidem, vt proponatur motuum amandum, sed materiam, ad quam apponendam extrinsecus intentio mouere, & si efficax sit, etiam determinare queat intendenti voluntatem. Id quod exemplo intentionis satisfaciendi pro peccato, ex qua actus charitatis ob solum Dei bonitatem elicuius imperatur, licet eius vtilitas praenosci debeat, vt imperetur, satis euicui iudicantur ex qua doctrina aiunt incarnationem de creto electionis intrinsecam, & formalem ex intentione, & sine reparationis a peccato ante eius prauiusum apponi non potuisse, quin peccatum adeo amaretur, vt argumentum aduersariorum conuincere: aut de creto electionis materialis, & extrinsecam quo, vt vile ad illam, cognoscitur quidem, sed non amatur, apponi ante peccatum prauiusum potuisse, quin adeo peccatum amaretur.

3. Ceterum Doctrina hac de extrinseca electione displicet vehementer Petro Hurr. de Mandoz. 2. 2. t. 2. d. 134. sect. 4. d. 135. sect. 1. sub sect. 2. nec minus nobis, Philosopher, ac Theologis reliquis debet displicere. Contra primo: vtilitas medij ad finem intentum praenosci debet per vos, vt apponatur ex ea intentione, per electionem extrinsecam, & materialem; ergo, quia non potest non amari eius vtilitas, vt ex ea apponatur intentione, quod idem est, ac non posse apponi ex illa nisi per electionem intrinsecam. Probo consequentiam, idcirco requiritur cognitio bonitatis cuiusvis in obiecto ad ad actus voluntatis prosequenti illud, quia voluntas nequit ferri nisi in bonum, & praecognitum: fin assigna aliud animasticum principium: ergo cuiuscumque bonitatis obiecti, siue vtilis, siue delectabilis siue honestae requiritur cognitio ad actum voluntatis prosequenti, ideo est, quia eiusmodi bonitas futura est actus prosequenti illud obiectum formale motuum, & obiectum, quod ratione sui, & secundum se ametur. Confirmatur: quia electio formalis, quae vtilis ad finem est, atque apponitur, quin eius vtilitas amatur, vt sic apponatur, opus non est, vt eius vtilitas praenoscatur, vbi autem praenosci opus est solum est, vt reflexe ex ea intentione ametur: ergo cuiuscumque medij vtilitas ad finem intentum praenosci debet, vt ex eius intentione apponatur ideo est, vt vtilitas ipsa, seu medium, vile ametur. Confirmatur, quia finis ineptus est, ad mouendam sui intentione voluntatem ad id quod vile ad ipsum non fit: ergo, quia vtiliter medij est motuum etiam voluntatis mouenda per illius electionem, alioqui negabo bonitatem honestatis, aut delectabilis esse obiecta intentionis, & motiua ad amorem finis, licet non nisi ad honestum, & iucundum moueri voluntas per intentionem queat.

4. Rursus arguo: Motio finis per intentionem ad electionem medij debet esse obiectiua, vt sit gratia finis, & propter finem iuxta Arist. & Philosophos omnes: atqui motio obiectiua finis ad electionem nequit esse nisi mouendo voluntatem, vt gratia ipsius, & propter ipsum

amet apponaturque media: quod ipsum est, vt ea amet, & apponatur, vt vtilia ad ipsum: ergo motio finis nequit esse ad electionem medij, quae formalis, & intrinseca electio non fit. Minor, & per se videtur nota, & probatur: quia, quacumque motio voluntatis per intentionem finis, quae non fit per medij eligendi vtilitatem ad finem intentum non erit motio voluntatis ex parte finis obiecti, siue tenens se ex parte obiecti sollicitantem obiectiue voluntatem ad eiusmodi electionem, sed ad vtilitatem solum, & physica motio intentionis physice voluntatem impellentis, ac determinantis voluntatem ad electionem. Confirmatur: quia in re praesenti, & simili alia de permissione peccati ex intentione gloriae intentiones inefficaces in mea opinione sunt, esse que posse omnes, etiam aduersarij admittunt, neque ad rem praesentem, & aliam de permissione peccati negant: atqui ex inefficaci intentione reparationis a peccato nulla est motio, & determinatio actiua physica voluntatis: ergo sola remanet obiectiua, ex qua voluntas eligit incarnationem, vt vilem ad eum finem. Nec refert haec omnia instari in actu charitatis imperato ex intentione satisfaciendi Deo pro peccatis, quem finem ipse non respicit. Nam actus ille charitatis electio sui ipsius non est neque materialiter, sed eius electio est actus imperij quo ille imperatur tanquam eius obiectum, & medium, quod respicit, & prosequitur, vt vile ad satisfactionem pro peccato exhibendam.

5. Denique determinatio illa ab intentione, & cognitione vtilitatis ad amandum medium, non, vt vile ad finem, imo motio quaevis ab eis est impossibilis, nam amor ille medij non tamen, vt vtilis ad finem, intentum, sed, vel ob eius delectabilitatem, vel honestatem, nequit esse propter aliud, & gratia alterius in illo sensu sed propter se: si autem ob eius vtilitatem ad alium finem, ille finis est, qui mouet, eaque intentio, atque vtilitatis ad illum cognitio, non vtilitas ad alium, quae aperte non amatur. Patet, non sublata ea intentione, & cognitione vtilitatis non amata, & quae erit medij amor ob eius honestatem, delectabilitatem, vel vtilitatem ad alium finem, ob quam amatur. Sublata vero cognitione honestatis, vel vtilitatis ad alium finem, ex cuius amore amatur, non erit ille medij amor, vt patet: ergo intentio, & finis illius, ad quem, vt vile medium non amatur ad eius amorem nihil praestat, sed prorsus impertinenter se habet, vt coram Recentioribus obiciebam, quin solutio adhiberetur perceptibilis.

## CERTAMEN II.

*Ab absurdis electio hac extrinseca, atque ab inutilitate ad rem praesentem exploditur.*

1. Praefata extrinsecam electionem ex ipsa electione finis, & intentionis natura, atque a priori reflexionem iam a posteriori, & absurdum, neque vero segnitiam, impugnat primo, Intentio mouet ad electionem medij materialem sine amore vtilitatis eius ad finem intentum: ergo poterit mouere potentiam exterram exequentem ad medij oppositionem sine electione, vt bene arguit Hurr. subiect. 3. Patet quia nulla est ratio, vt post intentionem, & cognitionem vtilitatis medij expectetur electio, qua determinetur potentia exequens ad medium apponendum, ac non potius determinetur immediate ab intentione ipsa, si medij vtilitas amanda per electionem non fit sicut enim intentio, & cognitio vtilitatis determinant potentiam voluntatis liberam ad medij electionem potius determinate poterunt potentiam exequentem non liberam de se sed subditam despotice motibus voluntatis, vt medium exequatur hoc autem est totam Philosophiam euertere. Dices non esse sufficiens determinatum

minatium in voluntate ad medium apponendum, quovisque hoc fit amatum, & volitum secundum suam entitatem electione saltem materiali, & extrinseca. Contra: quia actiones extrinsecae sæpe apponuntur, ac fiunt, quin ipsæ secundum suam entitatem amantur: ergo hæc poterant ex intentione, & cognitione utilitatis determinari sufficienter, vt à potentia externa exercentur. Contra secundò: quia à paritate cõtendo ego fore sufficienti determinatiuum, imò potius, quam ad electionem mediij, nisi hoc amandum sit, vt vile: ac proinde opus non esse, vt secundum se adhuc ametur: nec patet recursus ad experientiam: cum enim hæc fundetur per omnes philosophos, in eo quod amandum sit mediij, vt vile, si amatur ex intentione finis: tu autem id neges, & satis determinari extrinsecè voluntatem dicas ad electionem, mediijque appositionem actiue ex intentione, & cognitione voluntatis: infero ego potius determinandam eis potentiam exequentem sine electione, & amore mediij secundum se ad eius positionem, contra omnem experientiam, quam tua hac opinione pessundari tanquam absurdum deduco, nisi aliam rationem disparitatis assignes.

2. Arguo secundò ab absurdo, quo R. coram vexabant, cum hac doctrina in permissione peccati utebantur: quia, si vt amor mediij sit electio absolute ex aliquo fine, eiusque intentione factis sit coexistentia intentionis, & cognitionis utilitatis mediij ad eum finem, & amoris mediij ob aliam quampiam bonitatem amati, cum obiecta plura desiderata inuicem sæpe vilia sint, atque vt talia cognoscantur: (v. g. actus charitatis ad satisfaciendum Deo, & actus satisfactionis penitentiae ad placendum Deo) actus isti inuicem pendebunt, tanquam à fine, atque intentione cuius inuicem electiones sint. Item cum nihil ferè sit, ad quod aliud quoduis vile Deo non fit, vel vt efficiens, vel, vt obiectum, atque ipsi cognitum vt vile nihil de facto producat Deus, quod non eligat extrinsecè, ad cætera omnia, & contra in hac sententia, mutuoque se ferè decreta omnia præcedent. Nec refert, si dicas non amari ea obiecta, & effectus, vt finem, & intentionem, sed desiderari solum: quare neque determinari ad electionem mutuo. Contra: quia in tua hac opinione desiderium rei, propter se, & non ob aliud intentio est sufficientis, vt determinet, seu moueat ad electionem extrinsecam, quin opus sit, vt illa intentio, atque rei utilis amor electio sit, vt ametur, qua utilis ergo nulla solutio. Dices secundò: in mutuo vtilibus rebus ex libertate voluntatis pendere vnum in aliud ordinare, & non è contra hoc aliud in illud vnum. Contra: ergo intentio, & cognitio utilitatis rei ad finem intentum non satis ordinant, ac determinant voluntatem, vt amor materialis rei utilis eliciatur: ac proinde, licet simul existat, non erit electio extrinseca adhuc, illius intentionis. Contra secundò: quia vltior ordinatio libera voluntatis nihil aliud esse poterit, nisi expressa volitio, vt ob finem intentum ametur: quod ipsum est eligi, & amari, vt vilem, siue formaliter eligi: quare electio formalis solum admittetur.

3. Tertio argumentò: quia si extrinseca illa assistentia intentionalis, & cognitionis, utilitatis rei, quin, vt utilis ametur, verè ordinatur electio, & res utilis in finem intentum, nullus actus ita erit intrinsecè speciei vnius, vt inuariatus intrinsecè non sit idem met speciei alterius in genere moris: quod præter quam quod est, totam moralem philosophiam, & theologiam inuertere, plura inserti absurda, v. g. actus elemosynæ ob finem, & ex intentione subleuandi miseriam pauperum intrinseca electio, & formalis erit misericordiae: atque eadem manens intrinsecè inuariata erit charitatis ex solo desiderio placendi Deo, & cognitione utilitatis elemosynæ ad placendum Deo, quin vt Deo placeat elemosynarius cum actum eliciat, & elemosynam eligat. Sin autem assistat desiderium satisfaciendi Deo, licet non properea eliciatur, erit actus penitentiae, quod nemo somniauit. Fiet enim inde ex omnium virtutum existenti desiderio, licet non nisi ex vnius

motiuo elicitem actum ad omnes virtutes Pertinere. Fiet secundò: eundem illum actum elemosynæ; quoad intrinsecum, atque ex elemosynæ sine solum elicitem è coexistentia sola desiderij gloriæ inanis, aut veneris & cognitionis de utilitate rei datæ ad eas assequendas, quin alterutra per illum actum intendatur, esse tamen libidinosum, atque inanis gloriæ actum iustè à Deo puniendum: sunt in re theologica, & morali prorsus absurda.

4. Tandem doctrina hæc ad rem præsentem est inutilis. Licet enim ea saluari posset permissione peccati effectum prædestinationis esse, tamen Christum, decretum esse electione intrinseca, & formali ex nostræ reparationis sine, & intentione certissimum est: cum Patres motiuum decreti incarnationis nostram reparationem, & salutem fuisse consonè designarent illis verdis: *Propter nostram salutem*, atque illis, *vt salui essemus*. ac similibus datis quæstione prima, dandisque quæstione 4. quod electione intrinseca, & formali, ex fine, & intentione reparationis nostræ fieri solummodo potuit: hæc quippe sola habet finem pro motiuo, quatenus formaliter fertur in vile ad illum. Iam verò si quæ mediij respicit vile ad finem electio, nequit non ea omnia respicere, sine quibus mediij vile ad illum esse non potest, nisi illud supponat aliunde positum, Deus incarnationem decernens ex fine reparandi hominem intrinseca electione quin peccatum supponat, illud quidem amare compelleretur, vt aduersarij obieiebant: atque extra rem, irritoque labore tota hæc doctrina de electione extrinseca ad rem præsentem non adhibuit facilius quidem rem componerent Recentiores, si sui memores essent. Ipsi enim docent intentionem posse mouere voluntatem ad electionem formalem, & intrinsecam mediij remoti, vt utilis sine amore proximi, sine quo vile non est, quod iam fufius ostendam.

## CERTAMEN III.

*Soarj, & Recentiorum sententia alius singularis que à nobis fundata arridet.*

1. VT difficultatem propositam, quæ vnica in affirmatiua conclusione est, omnino emoliam, in electione formali, & intrinseca (cuiusmodi fuisse incarnationis decretum, ex fine, & intentione salutis nostræ Patres docent, quæque sola vera electio est) singulari doctrina utar, quæ viginti, & amplius retro annis animum subit, dum ordines decretorum diuinarum à Recentioribus Complutensibus excogitatos tractatu ipsorum de voluntate dictato disp. 6. memb. 2. numero 29. in secessu placentino resellerem. Censeo ergo amore mediij remoti non amari, nec cogi voluntatem ad amandum medium proximum, sine quo remotum vile ad finem intentum non est: licet ametur vt vile ad eum finem; ac proinde negandam esse consequentiam primam argumenti aduersariorum positi certam. 1. num. 1. quare potuisse ex hac parte decerni incarnationem ob finem reparandi hominem à peccato nondum appoſito, ac præuiso existenti. Huius cogitationis fundamenta posuit Arist. laudatus à Vasq. 1. 2. disp. 4. cap. 4. cum aliis ibi relatis, docens inter media nullatenus habere rationem finis respectu mediiorum remotiorum: quare remotius non amari ob media proximiora, sed eorum vnumquodque ob finem tantum. Vnde sic arguo: Utilitas mediij proximi, non est eadem utilitas mediij remoti, sed ab illa diuersa, ergo amor directus utilitatis mediij remoti, non est amor directus utilitatis mediij proximi: ergo neque utilitas mediij proximi est directè amata amore quo directè amatur utilitas mediij remoti. Hæc nemo inficiatur. Ergo. Sed, neque utilitas mediij proximi amatur indirectè amore vtilitatis


fratis medij remoti, siue huius utilitas ob utilitatem medij proximi: quia alias medium proximum respectu remoti haberet rationem finis eiusque motionem, neque vtrumque ex quo amaretur propter finem.

2. Probo secundo, vel explico proximam assumpti proximi probationem. Id solum oportet amari indirecte amore utilitatis medij remoti, quod est propter se amabile: atqui medium proximum fini intento non est mea serie, atque ex eius finis intentione amabile propter se: ergo neque oportet amari indirecte medium proximum amore utilitatis medij remoti. Minor probatur primo ex suppositione facta numero primo: quia alias intermedia haberent rationem finis. Secundo à priori: quia tota amabilitas medij cuiusvis est utilitas: aut nulla utilitas est amabilis propter se: quare neque medium proximum erit ob illam propter se amabile. Dices hæc omnia solum probare inter media proximiora non habere rationem finis, neque esse propter se amabilia: quia ipsa sunt amabilia propter aliud; Hoc autem non tollit, ut alia amabilia sint propter illa in ea serie, scilicet remotiora: quia hæc sine illis utilitatem non habent: eo autem ipso, quod sint amabilia remotiora propter proxima, amor remotiorum indirecte tendit in proximiora: quare maior primi syllogismi secundæ huius probationis non consistit. Sed contra: quia nemo dicit se vocare Chirurgum propter, siue ob scissionem venæ, siue ob sanguinis effusionem, licet ad id eum vocet, sed ob sanitatem, quia eam secundum se non amat, sed solam sanitatem, quæ propter se amatur: ergo id solum amatur indirecte amore medij remoti, quod in illa serie amatur propter se.

3. Probatur tertio à priori assumptum idem, ac simul refellitur solutio, quia id solum amatur indirecte amore utilitatis, quod est terminus formalis utilitatis amate: atqui sola bonitas finis intenti, non autem utilitas medij proximi, est terminus formalis utilitatis medij remoti: ergo sola bonitas finis intenti, non autem utilitas medij proximi amabitur indirecte amore medij remoti. Antecedens est certum: nam ideo, qui amat poenitentiam, non amat indirecte Peccatum, qui terminus necessarius peccati est, quia non est terminus formalis bonitatis, siue honestatis poenitentiae sed materialis solum. Neque consequentiæ prima est obscurior. Solum ergo subsumptum probationem desiderat quam ita subiicio, medium remotius non ideo amabile est, quia vile ad medium proximum: sed quia vile ad finem, ergo sola bonitas finis est terminus formalis utilitatis, seu amabilitatis medij remoti, non autem utilitas medij proximi. Sed ulterius probo antecedens quod de se patet: quia tolle impossibile respectum physicum medij remoti ad proximum, siue conducentiam physicam ad illud seruata conducentia, & respectu utilitatis ad finem, atque inuenies æque amabile medium remotius; Contra verò, tolle respectum conducentiæ, & utilitatis ad finem seruata per impossibile conducentia ad medium proximum nullatenusque medium remotum erit amabile ex intentione, & sine illo: ergo terminus formalis amabilitatis, siue utilitatis medij remoti est sola bonitas finis, non autem utilitas medij proximi. Quod autem sine utilitate medij proximi nequeat esse utilitas medij remoti, quæ ad illud conducit, & sine illo esse physicè non potest, solum probat esse materialem terminum amabilitatis medij remoti, sicut peccatum honestatis poenitentiae terminus est, sine quo illa esse physicè nequit.

4. Dices, conducentia, atque utilitas mediata claudit essentialiter conducentiam immediatam, atque utilitatem medij proximi: ergo nequit amari utilitas mediata medij remoti, quin ametur conducentia, & utilitas immediata medij proximi; ergo eodem amore, quo, amatur medium remotum, qua vile, amatur medium proximum: Distinguo primam consequentiam: nequit amari absolute, nego consequentiam, & inde nego con-

sequentiam secundam; quia utilitas medij remoti, licet physicè, realiter, & materialiter mediata sit, non tamen amatur ut mediata, sed tantum, ut utilitas, siue ut medium vile ad finem; formaliter autem, & præcisè, ut vile ad finem, non respicit utilitatem intermedij sed solum materialiter sumptum, ut re ipsa vile est. Instas: cum aliquid alicui vile amamus, persona, cui id volumus, non est terminus formalis utilitatis illius, sed solum materialis, & tamen non possumus illud vile ipsi velle, quin personam ipsam amemus, ergo solum terminus formalis utilitatis, sed materialis etiam amari debet amore quo ipsa utilitas amatur. Distinguo. Non possumus amare vile alicui, quin amemus personam, qua terminus materialis utilitatis amate est, nego eam partem antecedentis, qua terminus est amoris illius, ut respicit personam, siue qua, complacentia est concedo, ut sic autem habet obiectum formale complacentiæ, nempe personæ bonitatem, ob quam illam amamus amicitia affectu, eique bona reliqua volumus.



### Q V Æ S T I O III.

*Poteritne incarnatio decerni ob finem nostræ reparationis efficaciter intentum ante, vel saltem post peccatum perquisitum.*

**Q**UANTUR hic de intentione efficaci prorsus ex parte actus, & obiecti deinde de absolute ex parte actus; conditionata vero ex parte obiecti.

### CERTAMEN I.

*Ex intentione efficaci prorsus absoluta nostræ reparationis à peccato nequit decerni incarnatio ante prauisum peccatum.*

**E**st omnium conclusio, qui negant præfinitioem actuum liberorum, etiam per scientiam medium regulatas. Ibi vero sunt Molina, Vasquez, Lessius, Hæcille, alijque plures, quos referebamus ex nostris, et terisque controuersia de voluntate. Ex eis autem qui actuum liberorum præfinitiones admittunt, Murcianus Recentiores nobis etiam consentiunt: quia licet casum nostram antiquam cogitationem, de amore medij remoti ob finem non amato proximo, recenter incidere id tamen cum finis intentio inefficax solum est verum putant: falsum verò, si medium remotum ex efficaci intentione finis apponatur; tunc enim si medium aliquod vnicum sit ex intermedijs censet ex intentione efficaci cogi ad illud amandum. Nos autem eodem modo philosophandum censemus in amandis medijs propter finem, siue efficaciter, siue inefficaciter intendatur ex parte motionis obiecti, finis, & intentionis, licet ex parte motionis actiue, seu physicæ determinationis discrimen adsit quoad mediorum appositionem quidem, non amorem. Nam efficax cogit quidem voluntatem ad ea omnia apponenda, sine quibus de facto obtinendus finis non est, ad quod non cogit inefficax: sed tamen, si medium aliquod sine sui amore possit apponi, non cogit ad illud amandum, sed apponendum, etiam si vnicum, ac necessarium sit. Cum autem ob præuidentiæ suæ infallibilitatem peccatum decreto suo positum possit apponere Deus ad id solum cogit, ut amatur.